



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1125/18/I

DECRETUM


PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi a Summo Pontifice Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Salvatore Iosepho Cordileone, Archiepiscopo Metropolita Sancti Francisci in California, una cum Exc.mis Episcopis eiusdem Ecclesiasticae Provinciae, ut in supplicibus litteris nuper elenchatis, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit *plenariam Indulgentiam*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si sacris interfuerint celebrationibus quae, magno cum concursu populi, totum per annum eventum v. "Walk for Life West Coast" nuncupatum, die XXVI Ianuarii MMXIX, in tota Sancti Francisci in California Archidioecesi necnon in Dioecesibus eiusdem Ecclesiasticae Provinciae peragentur.


Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si sacris functionibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatam.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Parochi et sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XXI mensis Decembris, anno Domini MMXVIII.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1126/18/I


DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, Exc.mo ac Rev.mo Patri Domino Salvatori Iosepho Cordileone, Archiepiscopo Metropolitae Sancti Francisci in California, benigne concedit ut, die XXVI Ianuarii MMXIX, in annuo evento v. "Walk for Life West Coast" nuncupato, post litatum divinum Sacrificium in ipsa Cathedrali ecclesia, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus, qui vere paenitentes atque caritate compulsi iisdem sacris interfuerint, **papalem Benedictionem** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Oratione ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui **papalem Benedictionem** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radio-phonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarie Apostolicae, die XXI mensis Decembris, anno Domini MMXVIII.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens